



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Ansbertvs Episc. 9. Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

quis Christo non maledixisset, in virtutis scenam protracta est. Et sanè præclarè personam sustinuit Christianam, quippe cui ore citiùs omnes, quibus ætas provecta in eum diem pepercerat, dentes, quàm Christus, evulsi. Quid agitis manus carnificum? fortem esse APOLLONIAM excussi dentes, & fractæ malæ loquuntur; ad majora tormenta provocate, nihil humile tam alta spondent principia. Ecce rogos ingens succenditur, crepant flammæ, furit populus, minantur lictores aut Christum abjice, aut in ignem abjiciere APOLLONIA. Quid hic illa? paululum apud animum suum, quasi consultans, subsistit, mox bullicente jam sanctiore sub præcordijs igne, non morata tortores, generoso ausu ipsa involat in flammis, è flammis ad cælum evolat. Inunc Scævola fortissime Romuli nepotum: Manus tuæ miraculum rogos hujus virginis extinxit. *Ex Surio.*

Si quis hoc dictum corde frequentaret, O Domine quando te diligam! citiùs se sentiret experimentaliter inflammari, quam si de secretissimis celestibus, & aeterna generatione, vel processione milles cogitaret. S. Bonavent, in Theol. Myst. Q. ult.

S. ANSBERTVS EPISC. 9. Februarij.

Non vidit splendidiorem gemmam Clotarii regia, quàm ANSBERTVM adolescentem Superis juxtà & hominibus clarum. Et verò invidit jam tum Clotario Ephebum Deus, & in suam traducere aulam laboravit. Sed & huic pulchrius regia cælum ardebat. Quare sponsam, quam habebat nobilissimã, lubens volens, cum ita ipsa etiam vellet, Christo cessit; ipse, rarissimo miraculo, monachus in aulâ vixit, & his ipsis, quibus periret alios

alios videas, ad meliora sanctè abusus est. Certè cum cantus regiam perstreperent, interque modulus dulces dulciores luderent fides, ab his animum ANSBERTVS advertisse ad cælestem musicam perhibetur haud paulò meliorem. Itaque aliis levi pede terram obeuntibus, ipse cælos rectius obibat. Illud credo dices: et go pietas etiam aulam habitat? Rectè. quòd tamen minùs secura hanc habitat, Ansbertus deinceps habitare cœnobium instituit, Abbasque, mox Episcopus Rothomagensis, potiùs inter mendicabula degere. In eum finem Xenodochia complura ædificavit, mensam ipse stravit, convivis suis conviva assedit, eodem & disco, & cibo usus. Iam ne dubites virtuti hostem aulam esse, à Pipino in exilium est pulsus, & maluit ille revocatus morte patriam prævenire. In defuncti brachio Crux visa est rubere, ipse etiam, cum velum injiceretur, oculos aperuisse, ut jam orbis vivum virtutis exemplar etiam in mortuo haberet. *Sur. & Mol.*

Pias aures Domini ad te flecte; lacrymis & suspiriis pro tuis excessibus illum clementer exora; atque canticis spiritualibus illum glorifica: nihil enim magis supernis civibus spectare libet, nihil regi summo jucundius exhibetur. S. Bern. l. med. c. 6.

S. GVILIELMVS CONF. 10. Februarij.

Ingentia scelera GVILIELMVS pari penitentia pletere instituit. Conjugio fraternæ conjugis Herodion impar cœnabat unus; quod ostionis in cibum sufficiebat. Ad duella non invitabat sed rogebat obvios, neque jam Duce in se Aquitanie putabat, nisi factionis quoque quæ contra Innoc. Pont. pugnabat, dux esset. Mellea verba Bernardus

D 5

ingesse.